Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38173
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



35

scilicet et uxor eius et non erubescebant. Non quod eis sua
nuditas esset incognita sed turpis nuditas nondum erat
quia nondum libido membra illa mouebat ad concupis
cendum. Si enim non peccarent non erubescerent quod in paruu-
lis fieri uidemus quia ante quam tempus libidinis et motus motus
fragilitatis adueniat non erubescunt ex nuditate. Et id
circo erant nudi ut dictum est. sed non erubescebant quia
non uidebant aliam legem in membris suis repugnantem
legi mentis sue et captiuos eos ducentes in lege peccati.
Nihil enim putabant uelandum quia nihil sentiebant re
frenandum. Sed post peccatum erubescebant quia propter
inobedientiam caro quodam modo uerecundiae testimo
nium prohibebat et peccando promeruerunt ut eis rebellis
5 Cap. 3. esset. Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus
et cetera. Non ut serpens aliquam astutiam aut sapientiam
haberet sed propter astutiam diabolus intellegitur qui
per illum agebat dolum. Nam aquila et theodotion interpre
tati sunt. Nequam et uersipellem ut per hoc magis uersutia
et calliditas quam sapientia demonstraretur. quia quam-
uis preuaricator angelus per superbiam fuisset deiectus de
caelestibus. Natura tamen excellentior et callidior
est omnibus animantibus quia si dignitatem amisit
subtilitatem non perdidit. Elegitque sibi diabolus ani